Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Erfordia magna ac memorabilis urbs, provincie Thuringie caput: a priscis Erphesfurt appellata. Montem habet excelsum, qui nunc sancti petri vocitatur. Cum a temporibus Theodosii imperatoris sub Archadio et honorio inclinacio imperii originem habuit: Franci, Romanorum presides, a Rheno ytaliam versus abiecerunt, et se regi proprio subiecerunt. Quibus intellectis Thuringi ab altera parte Rheni orientem versus, ex consilio Regis francorum Merovigum eius cognatum in Regem elegerunt. Is arcem construxit in eo monte, et castrum prope Erffordiam ubi nunc ecclesia sancti Dionisii extat, quod vulgares Merwisburg nominant. Post eius obitum Bassinus Thuringia regnum suscepit, eius uxorem postea hildericus Rex francie duxit in coniugem. Per ea tempora in loco ubi nunc basilica divi Andree frequentatur, villa Schildinrode extabat. In bruleto quoque prope fluvium Gera (qui nunc civitatem illabitur, et mediam ferme perfluit: Cuius comoditate tota civitas purgatur, et plurimum decoratur) Molitor sagax sua diverticula habebat: Cui nomen Erpff fuerat, apud cuius molendinum transitus sive passagium olim extitit. At cum temporibus Clodovei regis francorum ad annum salutis tricesimum octavum et quadringentesimum Erffordia ortum habuit, a molitore dicto atque transitu Erphesfurt denominata fuit. Regnante postea apud francos Tagoberto inclito rege, is post castrum in monte desolatum Monasterium celeberrimum Sancto petro dicatum ordinis divi benedicti construxit, unde mons sancti ~~peter~~ petri appellatus fuit. Ecclesiam quoque Sancti Gangolfi dotavit. Bonifacius post archiepiscopus maguntinus sub pipino francorum rege, cum Thuringiam ad fidem convertisset ecclesiam gloriose semperque virginis marie edificavit, ac ibi episcopatum ordinavit qui illico maguntine sedi cessit. Huius urbis ager optimus est: et herba fullonum que Sandix ac Saponaria dicitur pro tingendis pannis feracissimus: Per cuius arva Gera fluvius et alia flumina preterfluunt, regionem ubertim irrigantes, propter quod et pecorum pascuis habundat: Post annum deinde sexagesimum sextum supra millesimum Muro circumdata ac turribus munita fuit: Et civium edibus ac monasteriorum ac ecclesiarum ornamentis mirifice crevit: Thuringorumque celeberrima sedes fuit, Eo quod totius regionis ferme media sit et bladis aliisque necessariis copiosissima habeatur. Et cum hec regio ac urbs a solvendis decimis libera ~~fuerit~~ fuerit: Eam ob rem multas calamitates a finitimis prelatibus passa fuit: precipue temporibus henrici tercii imperatoris, is cum a severissimo suo preceptore archiepiscopo Coloniensi liberatus fuisset in omnia genera flagiciorum ruptis temperantie frenis precipitem se dedit: Montes omnes colli

Erffurt.